licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si in-
uentus fuerit quisquā. hanc preuaricari taci-
turnitatis regulā. grauiori uindicte subiace-
at. excepto si necessitas hospitum superuenerit.
aut forte abbas alicui aliquid iusserit. Quod
tamē et ipsum. cū summa grauitate et modera-
tione honestissime fiat. De his qui ad opus dei. uel
·43· Ad horam diuini officii ad mensam tarde occurrerint.
mox ut auditum fuerit signū. relictis omnibus
quelibet fuerint in manibus. summa cū festina-
tione curratur. Cum grauitate tamē. ut non scurri-
litas inueniat fomitē. Ergo nichil operi dei pre-
ponatur. Quod si quis ad nocturnas uigilias post
gloriam psalmi nonagesimi quarti (uenite exultemus). quē propter
hoc omnino protrahendo et morose uolumus
dici occurrerit. non stet in ordine suo in choro.
sed ultimus omniū stet. aut in loco quē talibus
negligentibus seorsum constituerit abbas. ut
uideatur ab ipso uel ab omnibus. usque dum com-
pleto opere dei. publica satisfactione peniteat.
Ideo autē eos in ultimo aut seorsum iudicaui